

R E L A T I O

GS/14A

SUPER SCHEMA CONSTITUTIONIS PASTORALIS  
"De Ecclesia in mundo huius temporis"  
partem II (specialem)

Venerabiles Patres,

I.

Cum totum nostrum Schema imprimis intendat, uti ex numeris introductivis apparet, responsa quaedam dare ad illas quaestiones, quae maxime homines nostri temporis premunt, tota vis huius schematis praesertim in secunda parte iacet. In hac enim agitur de quaestionibus quibusdam urgentioribus nostri temporis. Sicuti pars prima, quae potius principia generalia exponit, ita haec secunda, quae ad orientationes magis particulares descendit, funditus emendata est.

Essentialis divisio capitum mansit, cum tribus exceptionibus:

- 1° Numerus primus huius partis in antecedente forma schematis, qui agebat de dignitate personae humanae eiusque fundamentalibus iuribus et officiis, insertus est nunc parti primae, praesertim capiti secundo (De hominum communitate).
- 2° Additum est proprium caput De vita communitatis politicae, quod multi Patres desideraverant. Elementa partim contenta erant in capitibus prioribus veteris textus, partim in Adnexis ad numerum De iuribus hominum.
- 3° Duo numeri antea distincti, nempe De communitate gentium et De pace, nunc in uno capite quinto coniuncti sunt.

II.

Maxima differentia inter textum emendatum et textum priorem consistit in eo, quod multa elementa ex Adnexis assumpta sunt in ipsum textum conciliarem. Hoc plurimi Patres postulaverunt. Duplex inde oritur difficultas:

- 1° Textus ita multo longior evasit. Si vero inter se comparantur novus textus sine Adnexis cum vetere textu cum Adnexis, clare apparet, totum textum esse notabiliter abbreviatum.
- 2° Una ex rationibus, propter quas ante tertiam sessionem commissio nostra mixta separavit textum conciliarem et Adnexa, haec erat: Noluit introducere in discussionem conciliarem problemata tot particularia, quot in Adnexis tractantur. Semper in hac parte necessarium est, distinguere inter ipsa principia generalia et particulares applicationes. Si solummodo principia ponuntur, enuntiatio Concilii nimis abstracta, generalis et proinde vaga manet. Si nimis descenditur ad particularia, periculum est, ne ratio sufficienter haberi possit maximae varietatis condicionum in mundo et competentiae Concilii.

In singulis decisio facta est secundum animadversiones Patrum, quaenam ex Adnexis assumenda essent, quaenam non. Utrum recte selegerimus, vos iudicate!

III.

Nunc de singulis capitibus:

- 1° Primum caput "De dignitate matrimonii et familiae fovenda" fere immutatum remansit quoad ordinem materiae. Textus, desideriis Patrum respondens, in luce clariore ponit munus procreationis et edu-

cationis prolis in societate familiari, necnon veram indolem amoris conjugalis. Praeterea textus noster, cum agit de paternitate responsabili, magis insistit in hoc, quod coniugum conscientia hac in re legibus obiectivis obstringitur. Onerum his diebus pergravium memor, quae parentibus incumbunt, Sancta Synodus eos invitat, ut gaudia et sacrificia vitae familiaris spiritu christiano accipiant uti testes mysterii mortis et resurrectionis Domini.

2° Caput secundum agit de cultus humani - seu culturae - progressu rite promovendo. Materia distributa est in tres partes: altera descriptiva, altera doctrinalis, tertia pastoralis. A pluribus desiderabatur definitio culturae. Sed complexitas argumenti talis est, ut ad summum aliqua generalis descriptio culturae fieri posse videatur. Iure in congressu aliquo internationali, hoc anno Vindobonae in Austria habito, monitum est, cavendum esse, ne in discussionibus de hac quaestione unice disputetur de conceptu culturae. Hoc monitum etiam nobis utile esse potest. Speciali modo hoc caput rationem habere conatur condicionum omnium partium mundi.

3° Caput tertium "De vita oeconomica-sociali" incipit cum quibusdam aspectibus vitae oeconomicae hodiernae, dein distinctius agit de progressu oeconomica et de principiis, quae totam vitam oeconomico-sociali regunt. Exemplum Litterarum Encyclicarum socialium sequens, hoc caput etiam ad quaestiones relative particulares descendere non dubitat. Non restringitur ad consideranda problemata occidentalia, et etiam de rationibus oeconomicis inter divites et egentiores nationes agit.

4° Quartum novum caput "De vita communitatis politicae" primo agit de hodierna situatione huius vitae, dein de natura et fine societatis politicae, porro de omnium in vita publica cooperatione, de Ecclesia denique et societate politica.

5° Quintum et ultimum caput de industria omnia problemata subsumit sub idea pacis, ea quoque, quae in eo de cooperatione oeconomica inter nationes et problemate demographico exponuntur. Hoc factum est, ut natura positiva pacis magis appareat. Solutio enim quaestionum oeconomicarum inter nationes et problematis demographici haud parum ad ordinem pacis creandum confert. In proprio numero, qui inscribitur "De natura pacis", etiam innuitur connexio pacis humanae cum pace Christi, cuius illa tum figura, tum fructus est.

Praetermissis quaestionibus, maximi sane momenti, quae in sectione prima habentur, scilicet de superanda fame et paupertate in mundo et de incremento populationis terrae, spinosissimum laborem commissionis commemorare velim, qui tribuendus erat quaestioni pacis firmandae et belli vitandi. Interventus Patrum in Aula abierunt in oppositas sententias. In detestando bello omnes consentiebant. Alii tamen simpliciter postulabant, ut arma et bella hodierna a Concilio condemnarentur, alii e contra distinguendum esse censebant. Commissioni visum est, hac in re statuere aliquod principium morale, quod generale et inconcussum est et ex quo omnis actio bellica omnisque usus armorum diiudicari possit. Hoc principium enuntiatur in textu pagina 77, n. 98, alinea 2: "Omnis actio bellica, quae indiscriminatim pertinet (seu melius tendit) ad destructionem urbium integrarum cum earum incolis, a fortiori ad destructionem fere plenam regionum, est de se obiective crimen contra Deum et ipsum hominem, quod firmiter et incunctanter damnandum est."

Propter vota Patrum in hoc contextu etiam sermo est de aliquibus quaestionibus particularibus, v.gr. de morali aestimatione sic dicti aequilibrii terroris, de obiectione conscientiae et de aliquibus actibus bellicis. Vestrum est, et de contentu et de opportunitate harum lectionum iudicare.

IV.

Venerabiles Patres,

Graves sane quaestiones! Quaestiones, quae - ut iam dictum est anno elapso in ipsa discussione hac in Aula - speciales responsabilitates nobis imponunt. Sed his quaestionibus nos sistere debemus. Hoc a nobis postulat necessitas hominis huius temporis; hoc a nobis non minus postulat Christus, Dominus Ecclesiae, qui per ipsam opus suum in incarnatione inceptum consummare intendit, servire omnibus hominibus, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

In hoc omnes concordemur. In permultis singulis quaestionibus huius partis differentias sat magnas praevidemus; neque mirum est. Sincere etiam concedimus, adesse adhuc imperfectiones in his capitibus. Speramus nos, adiutos per vestras animadversiones et postea per vestros modos, textum multum adhuc perficere posse. Sed et tunc remanebunt defectus, qui fundati sunt in ipsa materia, in ipsa fragilitate humana, immo in ipso mysterio incarnationis, cui subiecta manet Ecclesia et quod in toto hoc schemate coram mundo profitetur. !/

22 m. Sept. 1965.

+ Franciscus HENGSBACH  
Episcopus Essendiensis

*Butler: exp. V et original no es francés, sino latín.*